142

Sequitur. In sinai in sancto. Syna rubus uel mandatum interpretatur. Est ergo dominus in eis. In synai in sancto, uel in mandato: quia per
mandatorum eius impletionem requiescit in illis, et in eius praeceptis cognoscitur praesentia et uoluntas eius. Ascendi
sti in altum: cepisti captiuitatem. Quippe qui nos descenderat eruendos ascendit in caelum, immo super omne caelum caelorum,
super omnem principatum et potestatem. Cepit captiuitatem: quia genus humanum quod diabolus captiuauerat assumpto homine
liberauit, et secum ad caelorum alta subuexit. Accepisti dona in hominibus. In ipsis quos redemit hominibus accepit dona,
quia redimendo et de potestate diaboli eruendo, sua eos dona fecit. Siue dona in hominibus accepit: id est per diui
nitatem hominibus dedit. LXX translatio apostoli ita habet: ascendit in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus:
quia apostolis suis spiritus sancti carismata die pentecostes praebuit. Quod est insigne triumphantis. Siue dona illa quae describit
apostolus: alii datur per spiritum sermo sapientiae, alii sermo scientiae et cetera. Etenim non credentes i. h. d. d. De iudeis
dicit, et quasi dolens miratur: quod non credunt inhabitare deum in assumpto homine. Etiam inquit iudeos non credentes
esse, sed adhuc dubitare deum in homine Christo habitare, cum tot signis probare potuerint. Vel ita non credentes inha
bitare deum, subaudiendum etiam: ut ipsi donorum caelestium possint participes fieri. Benedictus dominus die cotidie
id est omni tempore. Ipse prosperum iter praesentis uitae faciet nobis: omnibus uidelicet in se credentibus et se diligentibus. Iter enim
id est cursus uitae prosper factus est: quando redemptorem suum mundus agnouit. Deus salutarium nostrorum: Christus est. Et idcirco nulli
licet dubitare de prospero itenere, qui ducem habet saluatorem Christum. Deus noster, deus saluos faciendi. Adhuc exagerando osten
dit, quem deum nostrorum salutarium dicat. Deus inquit noster deus saluos faciendi, hoc est sine quo nullus saluus fieri potest. Vbi mul
tum commendatur gratia dei, sine qua nemo saluatur. Sed ne forte occurreret humanae cogitationi, quare ergo morimur si ille
nos saluos facit, addidit: Et domini domini exitus mortis. Ac si diceret: Etiam dominus tuus mortis exitum habuit, sed ille mortuus
est quia uoluit, et resurrexit potestate quando uoluit. Quid ergo miraris homo si affligeris et moreris, cum et creator tuus per
id quod homo erat, propter te exitum mortis habuerit. Verumtamen deus confringet capita inimicorum suorum. Capita inimicorum
superbia dicit diaboli, siue auctores iudaicae sedicionis, uel etiam heresiarchas, id est principes hereticorum. Hi enim omnes
inimici Christi sunt: quia iudei Christum in carne persecuntur. Heretici uero etiam contra deitatem eius insaniunt. Sunt et capita inimicorum
id est principes malarum plebium: quae confringet dominus, id est aeterna ultione damnabit. Verticem capilli perambulantium in delictis.
Verticem capilli: iudeorum arrogantiam appellat, siue subtilissimas hereticorum questiones, quae uelut minuti capilli
nullo sensu fundantur. Sed et istos confringet dominus, hoc est nulla spe ueniae tradet poenis gehennae. Hoc quare? Quia
qui perambulant in delictis suis, id est perseuerant in peccatis suis. Dixit dominus ex basan conuertam, conuertam in profundum maris. Basan
interpretatur pinguis, siue confusio. Ex basan ergo, id est ex confusione praesentis saeculi siue peccatorum conuertit dominus
eos, quos per lauachrum baptismi sua gratia liberat. Et adhuc quasi exponens quid sit basan, addit de profundo maris,
id est de uoragine huius saeculi. Haec est enim confusio inquieta semper et amara, de qua dominus quos elegit liberat. Dixit
dominus, praedixit et promisit per prophetas hoc se facturum. Profundum etiam maris, descensum possumus accipere inferni, de quo
dominus conuertendo liberat. Vt intinguatur pes tuus in sanguine. Ad illum propheta haec uerba dirigunt, quos dominus de basan
et de profundo maris conuertendum dicebat. Ad hunc inquit conuertam te o popule Christiane de profundo maris, ut pes tuus, id est
actio tua in sanguine. Hoc est proposito tuae deuotionis usque ad profundum pro me sanguinem in martyrio producatur.
Itaque qui antea gradiebantur in confusione uoluptatum suarum, conuersi ad Christum libentissime pro eius nomine sanguinem
fuderunt. Quidam hoc ad Christum dictum accipiunt, ut sit sensus: O Christe, ideo conuertes genus humanum, ut pes tuus, id est corpus
tuum intinguatur et cruentetur in sanguine, et moriaris pro hominum salute. Pedem enim pro toto corpore, a parte totum
accipimus. Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso. Canes sunt sancti apostoli, lingua canum, praedicatio illorum. Ex inimicis,
id est ex iudeis. Ex illis enim electi sunt apostoli, qui magnos pro domino latratus praedicando dederunt, et hoc ab ipso, id est a domino, qui illos
de incredula iudeorum gente elegit. Quidam linguam canum blasphemias intellegit iudeorum. Ex inimicis, de
monibus, quia instinctu illorum iudei contra dominum insurgebant. Viderunt gressus tuos deus. Haec est uera lectio.
Ita in hebraico habetur: uiderunt itinera tua deus. Gressus siue itinera dei sunt, incarnatio eius, passio, descensus
ad inferos, resurrectio et ascensio in caelum. Viderunt apostoli, uiderunt et ceteri fideles hos gressus et itinera dei, partim ocu
lis intuendo, partim fide conspiciendo. Et ut apostoli cognoscerent quis deus diceretur, subiunxit: Ingressus dei mei regis

License: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 312, p. p.%20142 – Remigius of Auxerre, Expositio in psalmos (http://www.e-codices.ch/en/csg/0312/p.%20142)